



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

10. Quid de impetratis inducijs contra executionem? an impetratae induciae solùm prosint Reo principali debitori, vel etiam fidejussoribus eius? an induciae cursum interusoriorum sistant?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

mentorū excedit de integro, in id tamē
 quod facere potest convenitur. *cit. L. 1. C.
 qui bon. ced. poss.* Non coguntur bonis ce-
 dere, consequenter nec carcerem sustine-
 re quibus hoc beneficiū concessum est, ut
 ne conveniantur nisi in id, quod facere
 possunt; ut sunt parentes, patroni, fra-
 tres, maritus, uxor, focer de dote conven-
 tus, donator, miles, socius, sive is univer-
 sorum bonorum, sive certæ rei sit. *L. sunt
 qui. 16. & seq. ff. de re jud.* Novissimo jure &
 carcer & necessitas cedendi bonis remit-
 titur illis, qui ejurant bonam copiam, id
 est, qui jurant se non esse solvendo, nec
 culpā suā ad egestatem redactos, *nov. 135.
 cap. 1.* Quid si quis renuntiet huic confi-
 tutioni, vel cessione bonorum, ultroq; ad
 carcerem se obliget, pecunia ad diem non
 solutā, an valeat pactio? Affirmat *Gail. 2.
 obs. 45.* Negat *Molin. de contr. usur. q. 36. n.
 211.* Quod vis elige.

10. Effugit etiam utramq; necessita-
 tem, qui de consensu maioris partis cre-
 ditorum, inducias quinquennales à Prin-
 cipe impetrat, major pars ex quātitate de-
 biti magis, quam numero æstimatur. Si
 quan-

quantitas æqua debeat, numerum spectamus: si sint & numero & debitis pares, sequitur Princeps humaniorem sententiam. *L. ult. C. qui bon. ced. poss.* Impetratæ induciæ profunt non solum reo principali, sed & fidejussoribus eius: nam & quadrimestre tempus fidejussoribus proficit. *L. ult. §. 1. C. de usur. rei jud.* AN etiam cursum interusurarum sistant? Ita, sunt enim beneficia Principum latissimæ interpretationis, parumq; prodesse induciæ currentibus interusuriis, colligitur ex *L. 3. ff. de const. Princ.*

TITULUS XXI.

DE CONCURSU & PRIVILEGIIS
Creditorum.

CASUS.

Quidam honestissimæ Filias elocâ-
rat. Persuadent illæ seni Parenti,
ut vivus omnem in Filias distribuât
hæreditatem, ne mortem Patris avi-
dè præstolentur: cæterùm, sanctè
pollicitæ de alimentis se Patri pro-
specturas. At cùm præter spem diu-
tiùs

Q 2

tiùs